

merum, licet necessarius sit ad electionem, non tamen sufficere, nisi etiam sit sanior; nam vis illius copulativæ æque utramque partem comprehendit. Unde inferitur ulterius, si contingat majorem partem, quæ in unum consentit, non esse saniolem, et saniolem, quæ vult alterum, non esse majorem, utriusque electionem, per se loquendo, esse nullam, quia neutra pars eligentium habet omnia requisita ad conficiendam electionem. Dico autem *per se loquendo*, quia si contingat alteram partem amittere jus suum, eo quod, verbi gratia, elegit scienter indignum, tunc electio alterius partis erit valida, quia ad illam devolvitur jus alterius partis, et ita jam non reputatur ut minor pars, sed ut integrum capitulum, ut notavit Panormitanus, in cap. *Dudum*, 1, de Elect., num. 10. Per se autem loquendo, etiamsi ab utraque parte eligatur dignus, talis electio non tenet, estque casus expressus in cap. *Ecclesia vestra*, 2, de Elect., ubi Hostiensis, uterque Abbas, et alii id notant et sequuntur. Unde ad secundam difficultatem positam negandum est antecedens quoad illam partem, ut major pars semper sufficiat sine illa qualitatum consideratione.

23. *Respondetur jam ad secundam difficultatem in num. 17, et aperitur quomodo major pars intelligatur sanior in suffragiis secretis.*—Neque inde sequitur, per se loquendo, perturbatio aliqua, quia ubi aliud non constiterit, major pars semper præsumitur sanior, ut in eod. cap. *Ecclesia* dicitur, et sumitur cap. *Dudum*, 1, eod. tit., et ratio ipsa per se statim postulat; ubi autem oppositum probari poterit, per superiorem judicandum est, et ita tollitur perturbatio. Quod si aliqua dissensio vel lites oriantur, non refert, quia in hujusmodi rebus humanis non possunt omnia vitari incommoda, et magis expedit ut electiones juste fiant. Semper tamen manet nobis illa difficultas, quia hinc sequitur non posse fieri electionem per vota omnino secreta, quia tunc non potest apparere quæ pars sit sanior. Quod expresse animadvertit Panormitanus, dict. cap. *Ecclesia*, num. 7, dicitque communiter non animadverti, ipse tamen fatetur non debere ita fieri, vel, ut ipse loquitur, *non debere dari voces per lupinos*. Nihilominus, quod superius, num. nono et decimo octavo, dixi, censeo verum, scilicet, illum modum electionis reprobari non posse; nam, ut ibi dicitur in Addit. ad Panormitanum, *per totum mundum practicatur, quod voces dantur per favas, sive per lupinos*; et (quod me magis movet) est ille

modus valde conformis Concilio Tridentino statuenti, ut nomina eligentium nunquam publicentur; nam ubi fuerit dubium de saniori parte, non poterit, moraliter loquendo, ferri judicium, nisi nomina publicentur. Dico ergo, ubi fuerit illa consuetudo, servandam esse, et tunc majorem partem præsumi saniolem, ut paulo antea dicebamus. Imo addit Baldus, tract. de Schismate, colum. 12, quod quanto cautius dantur suffragia ut non comprehendantur, tanto sanior et liberior est electio. Denique, ut supra dicebam, tunc fiet collatio quoad hanc conditionem sanioris partis, prout fieri potuerit, scilicet, vel ex parte electi, considerando ne adeo sit indignus ut inde sufficienter colligatur, non fuisse saniolem partem, quæ in illum concurrat; vel ex parte modi cognoscendi, saltem in generali, an intercesserit ambitio, et donationes illicitæ, vel aliquid simile, unde sufficienter probetur, partem illam non fuisse saniolem. Quia vero generaliter, et in communi, et non descendendo ad personas particulares, hoc moraliter probari non potest, ideo semper major pars præsumitur sanior, si persona electa indigna non sit.

24. *Tractatur secunda pars, id est, electio proposita num. 16.*—Circa alteram partem hujus præcepti, scilicet, ut, facta collatione, electio fiat, primum tollenda est ambiguitas vocis; nam electio proprie videtur fieri quando feruntur suffragia, nam electores sunt omnes de capitulo; eligunt autem votando; postea vero potius videtur fieri publicatio electionis jam factæ. Textus autem non ita loquitur, sed potius dicit tunc fieri, et faciendam esse electionem. Est enim advertendum electionem hanc esse veluti unum actum totius capituli, qui non censetur fieri, seu consummari, donec unus nomine totius capituli loquatur, et eligat futurum Prælaturum: hoc autem fit postquam totius capituli voluntas paulatim declarata et cognita est; et ita electio aliter fit a singulis declarantibus suas voluntates, aliter a toto capitulo declarante suam et quasi unam voluntatem. Hoc ergo est quod per illa verba fieri mandatur, estque omnino de substantia, vel (ut ita dicam) ipsa substantia et forma electionis, quia non censetur electio facta donec ita fiat, nec conferet aliquod jus, si hoc omittatur; imo necessarium et substantiale est ut hæc electio statim post collationem sine interruptione morali fiat, sicut dictum est, num. 15, de publicatione suffragiorum in communi, ut expresse declaratur in cap. *Cum post*, de Electione. Quomodo autem hæc elec-

tio communis fieri debeat, in prædicto textu non declaratur; tamen ex intentione ejus, et ex cap. *Sicut cum*, de Elect., in 6, constat debere fieri ab uno, nomine omnium publice loquente, et denunciante electionem. Quis autem ille esse debeat, vel a quo designari aut præcipi debeat ut loquatur, in eodem etiam textu non dicitur; tamen et ex contextu constat a scrutatoribus debere designari; quia vero hoc non expresse dicitur, aiunt expositores utile esse ut capitulum a principio det hanc potestatem scrutatoribus, vel alicui eorum. Glossa vero in cap. *Sicut cum*, de Elect., in 6, ait quemcumque sufficere, si cæteri audientes tacite consentiant. Mihi autem videtur veluti ex natura rei hoc pertinere ad eum, qui capitulo præest, dum jura aliud non disponunt; supponunt enim et deesse non posse qui præsit capitulo, vel saltem qui primam vocem habeat, et omnia debere ordinate fieri; ratio autem postulat ut hoc fiat ab eo qui præest, vel qui primam vocem habeat, quando nulli alteri commissum est. Et hæc de secundo capite ex propositis in num. 2.

25. *De forma consequente electione.*—*De confirmatione electi.*—De tertio capite ibidem posito, id est, de his quæ post electionem necessaria sunt, nihil additur in dict. cap. *Quia propter*, neque in jure communi aliquid aliud invenio, nec videtur necessarium, imo nec possibile, cum supponatur jam electio consummata. Solum invenio id quod ex Concilio Tridentino supra, num. 11, notavi, districtè præcipiente ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Quomodo autem ex hoc decreto aliquid resultet pertinens ad substantiam electionis; quomodo item id, quod in futurum pendet, non suspendat valorem electionis, satis ibidem declaratum est; nihil ergo est subsequens electioni, quod ad valorem ejus proprie pertineat. Solum ergo potest confirmatio post electionem requiri, ut plenum jus Prælationis obtineatur; quæ confirmatio jure communi necessaria est, pertinetque ad superiorem immediatum Prælaturum electi, et si, nondum illa obtenta, quis prælatione utatur, jure acquisito per electionem privatur, cap. *Avaritiæ*, de Elect., in 6, et videre licet latius in Sylvest. et Angelo, verb. *Confirmatio*; Panorm., in cap. *Cum Ecclesia*, de Elect., numero octavo. In præsentibus ergo confirmatio per se spectat ad solum Summum Pontificem; tamen, juxta privilegia et indulta multarum religionum, non solet esse necessaria specialis confirmatio; sed cum ex vi privilegiorum fiat

auctoritate Apostolica, eo ipso quod quis publice denunciatur canonicè electus, censetur etiam confirmatus eadem Apostolica auctoritate, et ita videtur esse in usu multarum religionum; nam finita electione Generalis, statim ei ut supremo Prælato omnes reverentiam exhibent, et ipse incipit præsidere generali capitulo, suumque munus exercere.

## CAPUT VI.

## DE ELECTIONE ALIORUM PRÆLATORUM INFRA GENERALEM.

1. *Assertio tripartita.*—Hactenus de creatione supremi Prælaturum religionis diximus, et ex his quæ tribus proxime præcedentibus capitibus tractata sunt, hoc uno capite facile expediti possunt, quæ ad reliquos spectant. Dicendum ergo est omnes illos posse per electionem creari, non tamen esse in eis ita necessariam sicut in Generali; ubi autem in usu fuerit, cum proportionem servanda esse, quæ de electione Generalis diximus; ubi autem juxta speciale institutum electio necessaria non est, simplicem ac legitimam provisionem superioris habentis potestatem sufficere. Declaro singula: nam imprimis postquam tota religio habet unum supremum caput internum seu præter Pontificem, ab illo potest satis commode recipere inferiores Prælatos, tam medios quam infimos, sive utrosque immediate providendo, sive solum medios ac sibi proximis, et per eos inferiores reliquos. Et ob hanc causam dixi, in his Prælatibus non esse tam necessariam electionem, quia influxus primi Prælaturum potest ad hæc omnia extendi sine ulla repugnantia, sicut in universa Ecclesia Catholica unius Vicarii Christi necessaria est electio; pro aliis autem inferioribus Prælatibus, Episcopis, Archiepiscopis et Patriarchis, in rigore non erat necessaria electio, nam per solum ipsum Vicarium Christi poterant sufficienter provideri, si ipse voluisset. Olim etiam videtur fuisse observatum, ut Abbates monasteriorum ab Episcopis crearentur, ut colligitur ex Concilio Nicæno, cap. 54, ubi etiam significatur Episcopum solitum fuisse creare Abbatem quasi Generalem plurium monasteriorum; hunc vero instituisse locales, seu particulares Abbates singulorum monasteriorum; idem munus tribuitur sacerdotibus in Concilio Toletano IV, cap. 50. Nihilominus tamen frequentius observatum est in religionibus, ut inferiores etiam

Prælati per electionem fiant, et non est dubium quin recte ita fieri possit, quia hoc pendet ex humana institutione et Pontificis approbatione; nec ex natura rei habet hic modus creandi hujusmodi Prælatos aliquid præter rectam rationem aut convenientem gubernationem, per se loquendo; nec repugnat juri communi, sed potius est illi valde conformis, ut videbimus; nec denique repugnat juri aut potestati supremi Superioris, vel supremi Prælati, quia illa limitata est juxta regulas, et indulgentia Apostolica, per quæ illi non major potestas concessa est. In hoc enim differt monarchia unius religionis a monarchia totius Ecclesiæ; nam in tota Ecclesia suprema potestas absoluta gubernandi in capite residet, quæ a nullo infra Christum potest limitari; et ideo modus instituendi inferiores Prælatos per electionem, vel sive illa, non potuit ab alio quam ab ipsomet Pontifice definiri. Unde, quando cumque, vel ubicumque per electionem fit, vel facta est, ex benigna concessionem ejusdem Pontificis introducta est: in religionibus autem tota potestas manat a Pontifice, loquendo de propria jurisdictione, et ideo licet uni Generali principaliter communicetur, datur tamen cum limitatione ad hunc vel illum modum regiminis, juxta exigentiam rerum; ubi ergo institutio electionem talium Prælatorum postulat, servanda est. Jam vero declaratur et probatur altera pars, nimirum, in hujusmodi electionibus servanda esse fere omnia, quæ de electione Generalis diximus. Quod quidem, quantum spectat ad ea quæ pendunt ex jure communi, unica ratione ostendi posset, quia jus commune nihil fere disponit de Generalibus in particulari, sed vel de Prælati in communi, vel de Abbatibus, sub quibus alii Prælati locales intelliguntur, et a fortiori eorum Superiores.

2. *De prima et secunda conditionibus requisitis ex parte eligendi.* — Prælati olim ex eadem provincia vel domo eligebatur ordinariæ. — Igitur ut per particulares conditiones breviter discurremus, primo, ex parte eligendi necessaria est ætas ad minimum viginti quinque annorum: de qua nihil speciale occurrit, præter ea quæ de Abbatibus statim adnotabimus, a numer. 7; secunda conditio erat professio expressa in eadem religione. Circa quam interrogari potest an requiratur professio in eadem Provincia, vel domo, cum proportionem, ita ut, sicut in Generali requiritur professio ejusdem religionis, ita, in Provinciali, ejusdem Provinciæ, in conventuali, ejus-

dem domus. Sic enim de Abbate sentit Sylvester, verb. *Abbas*, num. 2, et in cæteris. Et favent jura antiqua, 18, quæst. 2, ubi in cap. *Abbatem*, 2, dicitur: *In monasterio illum volumus ordinari, quem sibi de sua congregatione, etc.*, id est, de suo monasterio, ut sequentia verba declarant: *Et possessionis dominus*, de quibus paulo inferius; et in cap. sequenti, tunc solum permittuntur monachi eligere de aliis monasteriis, quando inter se aptam personam invenire nequiverint. Et fortasse olim quando monasteria monachorum ita erant inter se divisa, ut non efficerent proprie unum corpus, nec haberent unam superiorem communem, hoc erat in more positum, ut electio fieret ex proprio monasterio, allegaturque tanquam jus ordinarium et commune, quod non licebat prætermittere nisi in prædicto casu necessitatis. Quanquam forte non fuit hoc tam necessarium, quin electio aliter facta valida esset, quia non invenimus verba irritantia in antiquo jure, et alioquin cum electio futura esset communi consensu, saltem majoris partis, poterat communitas cedere juri suo; imo præsumenda esset ex legitima causa et necessitate id facere, nisi oppositum manifeste constaret.

3. *Id nunc in religionibus virorum non postulatur.* — Nota. — Nunc autem in religionibus virorum certum est conditionem hanc non esse necessariam, sed solum ut electus ejusdem religionis sit, ut patet ex Clement. 1, de Elect., ibi: *Ne religiosus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius religionis, vel habitus, vel professionis*; ergo ex vi illius textus solum est necessaria identitas religionis, professionis, et habitus; non ergo ejusdem domus, vel Provinciæ. Expendimus autem supra, cap. 3, numero undecimo, particulam *de cætero*, in eodem textu positam, quia ex ea intelligitur illud esse jus novum; post illud autem non habemus jus quod majorem identitatem requirat; ergo illa sufficit. Denique, usu omnium religionum ita receptum est. Nam religiones mendicantes, et aliæ illis similes, tantam habent in se unitatem, ut distinctio locorum vel provinciarum valde accidentaliter reputetur, ideoque nec in eligendo Provinciali consideratur, per se loquendo, ut ejusdem provinciæ sit filius aut habitator, neque in Prælati conventuali, quod sit ejusdem conventus. Major hujus rei consideratio videtur conservari in religionibus monasticis; tamen quoad hoc fere reductæ sunt ad eandem formam. Hoc ergo jus regulariter est commune

omnibus; ubi autem ex speciali regula aliquid aliud additum fuerit, observandum est.

4. *Num tria hæc, religio, professio, habitus, sint synonyma.* — Potest autem circa dictam Clementinam dubitari, an illa tria verba, *ejusdem religionis, professionis, et habitus*, æquipolleant, solumque sint posita ad majorem rei declarationem vel expressionem; an vero singula aliquid addant. Glossa enim ibi indicat hoc posterius: nam, si religio, inquit, sit diversa, ut Cisterciensium et Carthusiensium, quamvis fortasse professio sit eadem, non sufficit. Sed quoad hæc duo non existimo unum ab altero separari, sed voces illas ut synonymas positas esse, et ita non sunt posite in eadem clausula, sed una in principio in ratione textus, altera inferius in ipsamet lege. Nunquam enim religio est diversa, quin professio sit aliquo modo diversa, saltem quoad obedientiæ votum, tum quia fit diversis Prælati non subordinatis; tum etiam quia fit secundum regulam, quam in diversis religionibus oportet esse aliquo modo diversam. Et præterea traditio, quæ etiam est de substantia professionis, necessario est distincta in distinctis religionibus: illa ergo duo æquipollent in præsentia materia.

5. *Convenientia in habitu an sit requisita in eligendo.* — De alio autem termino, videtur certe positus ad addendum aliquid; nam contingit in eadem religione deferri diversos habitus in distinctis monasteriis aut provinciis, ut, verbi gratia, in religione S. Francisci quidam sine calceis incedunt, et asperiori ac viliori habitu utuntur, quam alii; et ideo, licet sint ejusdem religionis, non tamen videntur esse ejusdem habitus cum aliis, Conventualibus, vel de Observantia. Et in aliis religionibus, ut Trinitatis, verbi gratia, aut canonicorum regularium, magna varietas in diversis regionibus conspicitur, non solum in colore, sed etiam in figura. Videtur ergo in prædicto textu requiri, ut eligendus in superiorem sit non solum ejusdem religionis, sed etiam ejusdem habitus intra illam. Quod patet ex contextu, nam statim a principio sub disjunctione dicitur, non esse rationi consentaneum ut homines disparis professionis, vel habitus in eisdem monasteriis socientur; et ex hac ratione concluditur, utramque conditionem postulandam esse in Abbate, seu Prælati medio. Hæc vero propositio difficilis est, nam ex illa sequitur, in religione S. Francisci, aut Carmelitarum, verbi gratia, non esse validam electionem, si aliquis ex eadem religione, di-

versæ tamen familiæ, gestantis distinctum habitum, eligatur. Consequens videtur falsum, et contra usum. Confirmatur, nam in eadem religione contingit esse varietas in habitu quoad colorem album, vel nigrum, ut de ordine S. Benedicti dicitur in Clement. *Ne in agro*, § 1, de Statu monach., et tamen id non obstat quominus gestans habitum diversi coloris possit in Abbatem eligi, ut ibi glossa fatetur, dicens hanc diversitatem esse accidentariam.

6. *Affirmandum de convenientia substantiali, quæ semper arguit identitatem religionis, non de accidentali.* — Ex hac igitur glossa, et quæ circa illam a Doctoribus notantur, colligere possumus, convenientiam quidem in habitu esse necessariam ex parte eligendi in Prælatum; hæc enim in dicto textu expresse postulatur; potest autem diversitas in habitu esse quasi substantialis, quæ ut mihi videtur, semper supponit diversitatem regulæ, et consequenter etiam religionis. Tunc enim mutatio in habitu alicujus religionis censetur substantialis, quando est contra dispositionem regulæ, ut significavit Panormitanus, in dict. Clement. 1, num. 4; ergo, ut varietas in habitu censeatur substantialis, necesse est ut ex diversitate regularum procedat; nec potest alia ratione commode discerni substantialis varietas ab accidentali in ipso actu; tunc ergo distinctio in habitu merito impedit electionem. Accidentalis autem distinctio in habitu erit, sive sit in colore, sive in figura, quæ non fuerit contra regulam, sed sub eadem permittatur; illa ergo non impedit electionem, et de hac procedunt exempla superius, numero præcedenti, adducta. Et ratio reddi potest, quia illa varietas non est distinctio in habitu simpliciter, sed tantum secundum quid, et ideo non repugnat prædicto textui. Ex qua interpretatione concluditur, identitatem habitus in rigore non addere conditionem diversam ab identitate religionis, sed per eam explicari, ad unitatem religionis requiri aliquam conformitatem in habitu, saltem substantialem. De quo iterum dicemus infra, tractatu sequenti, de Varietate religionum. Addo vero, ubi contigerit electum esse diversi habitus accidentaliter, quamvis electio valida sit, nihilominus esse juri consentaneum, ut, durante illo munere, se conformet aliis in habitu, saltem superiori; ne inter caput et membra diversitas appareat, argumento cap. *Deus qui*, de Vita et honest. cleric., et cap. *In nona*, 16, quæst. 7, ibi: *Constituentes ut hi, qui in administra-*

*tionibus Ecclesie Pontificibus sociantur, dis-  
crepare non debeant nec professione, neque ha-  
bitu.*

7. *An decisio Clementinæ a num. 3 explicata  
procedat de electione monialis. — Resolutio af-  
firmativa. — Decretum Tridentini pro electio-  
ne monialium.* — Tandem dubitari potest an  
decisio illius Clementinæ circa secundam con-  
ditionem locum habeat etiam in monialibus.  
Ad quod respondendum est affirmative cum  
glossa ibi, et communi sententia; quia in his  
dispositionibus femininum sub masculino com-  
prehenditur, ut in superioribus diximus. Ex-  
pressius vero hoc statuit Concilium Tridenti-  
num, sess. 25, cap. 7, de Regular., ubi post-  
quam nonnullas condiciones posuit observan-  
das in ea, quæ in Abbatissam eligenda est,  
subdit: *Quod si his qualitatibus non reperiatur  
in eodem monasterio, ex alio ejusdem ordinis  
eligi possit.* Quæ verba imprimis supponunt,  
in monasteriis monialium, per se loquendo,  
et quoad fieri possit, observandum esse ut de  
eodem monasterio Abbatissa eligatur. Deinde,  
in casu necessitatis, solum conceditur ut de  
alio monasterio ejusdem ordinis eligi possit;  
est ergo hoc substantiale.

8. *Expenditur prædictum decretum de æta-  
te et antiquitate monialis eligendæ.* — Circa hoc  
autem decretum, primum observare oportet,  
duas condiciones addidisse ibi Concilio pro  
Abbatissis et Priorissis, etc., quæ in viris ne-  
cessariæ non sunt, scilicet, ætatem quadragin-  
ta annorum, et octo annos religiosæ vitæ post  
expressam professionem ejus; ut enim supra,  
c. 3, n. 7, diximus de Generalibus religionum,  
ita etiam de Provincialibus, et Conventualibus  
Prælati virorum, nullum est jus quod in eis  
dictas condiciones requiratur: decretum autem  
de feminis non comprehendit viros, ut supra  
etiam ostensum est. Tantum ergo in præfectis  
feminarum illæ duæ condiciones speciali jure  
requiruntur, et utraque addita videtur a Con-  
cilio Tridentino. Nam, quod ad ætatem atti-  
net, licet olim Gregorius Maximiano Episco-  
po scripserit, ut non permitteret Abbatissas  
nisi sexagenarias fieri, lib. 3, Epist. 11, cap.  
*Juvenulas*, 20, quæst. 1, tamen illud nun-  
quam fuit pro jure receptum, posteaque Boni-  
facius VIII, in cap. *Indemnitatibus*, de Elect.,  
in 6, solum ætatem triginta annorum com-  
pletorum requisivit. Concilium autem Triden-  
tinum, quasi medium tenens, et quia expe-  
rientia forte monstravit, in feminis sicut for-  
tior ætas quam sexagenaria necessaria est, ita  
maturiore quam tricenariam requiri, qua-

draginta annorum ætatem postulavit. De al-  
tera vero conditione antiquitatis professionis,  
nihil invenio antiquiore jure, nec simili, ne-  
que dissimili definitum. Hæc autem duæ condi-  
tiones non declarantur a Concilio tanquam  
substantiales, nec irritatur electio aliter facta,  
sed simplex prohibitio ponitur, *ut non eliga-  
tur*, etc.; ideoque si alioquin electio facta sit  
juxta commune jus, licet illæ duæ condiciones  
non servantur, non erit electio irrita ipso ju-  
re; sed ad summum irritanda. Præterea, illæ  
conditiones non ponuntur a Concilio ut sim-  
pliciter necessariae, sed, si servari potuerint;  
alioquin conceditur ut ætatis triginta anno-  
rum, et post quinquennium a professione eli-  
gi possit. Intellego autem, illas condiciones ser-  
vari non posse non solum quando in nulla re-  
ligiosa ejusdem monasterii inveniuntur; sed  
etiam si inveniuntur in aliquibus vitæ lauda-  
bilis, si non habeant qualitates aliquas ad gu-  
bernandum necessariae; ita enim intelligen-  
dum est Concilium cum dicit: *Si his qualita-  
tibus non reperiatur in eodem monasterio*, sci-  
licet, apta ad electionem; clarum est enim illas  
solas qualitates non sufficere ut persona sit  
digna, nec velle Concilium ut sine aliis requi-  
sitis aliqua eligatur, etiamsi illas condiciones  
habeat. Et eodem modo intellego quamdam  
responsionem Congregationis Cardinalium,  
quæ absolute habet, *Abbatissam triginta an-  
norum, et quæ per quinque annos solos sit pro-  
fessa, eligi non posse, si in monasterio est ali-  
qua monialis quadraginta annorum, et quæ jam  
per octo annos sit professa*; subintelligendum  
enim puto, dummodo alioquin ad gubernan-  
dum apta sit et sufficiens, nam hoc ex natura  
rei necessarium est. Addit vero idem Con-  
cilium, ut sine illis eligi possit, oportere ut non  
possit commode ex alio monasterio cum illis  
eligi, quod committit judicio superioris, et ideo  
Congregatio Cardinalium in prædicta respon-  
sione addidit: *Aut in aliquo monasterio ejus-  
dem ordinis vicino, istius qualitatis inveniatur*;  
ubi expendo particulam illam *vicino*, quæ ad-  
dita est verbis Concilii, fortasse ad declarandum  
distantiam loci sufficere, ut electio non pos-  
sit commode ex alio monasterio fieri; quanta  
autem sit illa distantia, superior judicabit.

9. Notandum præterea est aliud responsum  
eorumdem Cardinalium, quod variis ac fide  
dignis testimoniis ad nostras manus pervenit,  
sub his verbis: *Abbatissa, licet per quinquen-  
nium non manserit in religione, dum tamen ex-  
cedat triginta annos, et id fiat ad requisitio-  
nem suarum monialium, de licentia secundæ di-*

*gnitatis cathedralis, et earum superioris regu-  
laris, dummodo laudabiliter anno superiore se-  
gesserit, debet confirmari per biennium in of-  
ficio. Quod si ad confirmationem dictæ Abba-  
tissæ deesset superiorum regularium licentia  
propter absentiam, servatis iis quæ hoc capite  
præscribuntur, ad dictam confirmationem pro-  
cedendum est.* Quod responsum imprimis in-  
tellego habere locum, quando dispositio Con-  
cilii Tridentini ad litteram servari non potest,  
quia non est verisimile per illa derogari, vel  
aliqua ex parte dispensari in Concilio, si ob-  
servari potest. Solum ergo habet locum quando  
nec quadragenaria cum octo annis professionis  
ejusdem monasterii et religionis commode eli-  
gi potest, nec etiam in monasterio invenitur  
aliqua triginta annorum ætatis, et habens quin-  
que integros annos professionis æque digna,  
et apta ad illud regimen; nam si hujusmodi  
inveniatur, non video cur alia admittenda sit.  
Imo etiam in eo casu necessitatis, censeo il-  
lam declarationem factam esse auctoritate  
Pontificis, quia sola scientia, sine potestate, ad  
illam non fuisset sufficiens, tum quia est qua-  
si nova lex in casu a Concilio omisso, nihil  
enim Concilium providit pro eo casu, in quo  
non invenitur aliqua triginta annorum, habens  
quinque annos professionis; tum etiam quia  
ibi postulatur licentia secundæ dignitatis ca-  
thedralis, et superioris regularis, si commode  
haberi possit, et solum conceditur ut ad bien-  
nium confirmari valeat. Quæ omnia non per-  
tinent ad doctrinalem interpretationem, sed  
authenticam et potestativam, ut sic dicam;  
ideoque, ut illa declaratio ad usum applicari  
debeat, observare oportet an sit universaliter  
facta pro tota Ecclesia, et an sit satis promul-  
gata ut habeat vim legis. De quibus mihi nunc  
non constat; credo tamen saltem observari  
posse ubi oppositum non constiterit, nam con-  
tinet quasi epikeiam per se satis consentaneam  
rationi, et habet sufficientem auctori-  
tatem.

10. *Juxta hoc responsum, non tam exigitur  
monialis antiquitas quam ætas.* — Ex hac vero  
declaratione constat, antiquitatem professionis  
non esse reputatam a Congregatione Cardi-  
nialium tam necessariam conditionem, sicut  
ætatem completam triginta annorum; nam  
alius casus omissus etiam in Concilio esse pos-  
set, in quo nulla monialium existentium in  
monasterio, et apta ad gubernationem ejus,  
habeat triginta annos ætatis expletos, et tamen  
in eo nulla declaratio vel epikeia facta est,  
ideoque in tali casu nulla eligi potest minoris

ætatis, etiamsi per plures quam octo annos re-  
ligiosa fuerit; sed in eo casu aut ex alio mo-  
nasterio ejusdem religionis assumenda erit  
Abbatissa, etiamsi difficultates aliquas supera-  
re, vel aliquid incommodi ferre necesse sit,  
vel certe dispensatio erit a Summo Pontifice  
postulanda. Sed quid si duæ aptæ ad dictum  
officium concurrant, altera quadragenaria,  
nondum tamen habens quinque annos profes-  
sionis; altera vero habens illos completos, vel  
etiam octo, nondum vero attingens quadrage-  
simum annum ætatis, licet excedat trigesimi-  
mum? Videtur enim hæc posterior præferen-  
da, quia habet aliquo modo completam utram-  
que conditionem a Concilio postulatam; priori  
vero una conditio omnino deest. In contrarium  
autem est, quia Concilium per se primo requi-  
rit ætatem quadraginta annorum, quæ condi-  
tio completur in priori, et non in posteriori, et  
aliunde conditio ætatis magis desideratur, ut  
notatum est; ergo videtur præferenda prior.  
Mibi videtur negotium arbitrarium, quia re-  
vera se habent tanquam excedens et exces-  
sum, et ideo censeo præferendam esse illam,  
quæ ob alias condiciones dignior reputata fue-  
rit; si autem fuerint æquales, excessus ætatis  
videtur præferendus ex genere suo, propter  
rationem factam, et quia in jure magis consi-  
deratur quam alius. Dico autem *ex genere suo*,  
quia tam parvus esse posset excessus ætatis, et  
tantus in antiquitate religionis, ut hic præpon-  
deraret; superior ergo prudenter hoc judi-  
cabit. Hinc tamen colligimus, quotiescumque  
nulla est habens integras illas condiciones  
quadraginta annorum ætatis, et octo profes-  
sionis, illam esse, cæteris paribus, præferen-  
dam, quæ plus de illis participaverit. Ut si sit  
aliqua habens quadraginta annos ætatis, et  
quinque professionis, in dubio esset præferen-  
da aliis non attingentibus illam ætatem, neque  
habentibus octo annos professionis; et sic de  
aliis. Quamvis enim dici possit, Concilium so-  
lum assignasse illa tempora certa, et ideo, si  
non expleantur, nihil referre quod ad illam  
magis, vel minus accedatur, et similiter duas  
illas condiciones simul postulasse, et ideo, si  
simul non jungantur, unam vel alteram ni-  
hil conferre; nihilominus negari non potest  
quin et conditio ætatis majoris triginta anno-  
rum per se spectata necessaria sit, et quod  
juxta intentionem Concilii, major participatio  
illarum conditionum, ubi integræ haberi non  
possunt, cæteris paribus, reddat personam  
in hoc munus digniorem.

11. *Quarum conditionum defectu possit, aut*